

An scirrhus, propriè sic dictus, seu cancer occultus, insanabilis? : thesis quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi, praesentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus subjiciet et dilucidare conabitur die [...] anno 1824 / Antonius Miquel.

Contributors

Miquel, Antoine, 1796-1829.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Parisiis : Ex typographia Hocquet, 1824.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zd956y2f>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

10.
COMPETITIO AD AGGREGATIONEM
JUSSU REGIS ET EX MANDATO SUMMI GALLICÆ UNIVER-
SITATIS MAGISTRI INSTITUTA, ANNO 1823.

AN SCIRRHUS, PROPRIÈ SIC DICTUS, SEU CANCER
OCCULTUS, INSANABILIS ?

THESIS

Quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi,
præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum dis-
putationibus subjiciet et dilucidare conabitur die
anno 1824,

ANTONIUS MIQUEL,

Doctor Medicus, Academiæ regiæ Medicinæ Socius adjunctus,
è Societatibus Medicis Parisiensi, Londinensi, etc.

... *Nemo sine manûs operâ potuit curare.*
GALEN. *ad Glaucon.*


PARISIIS

EX TYPOGRAPHIA HOCQUET,


Viâ vulgò dictâ Faubourg Montmartre, n^o. 4.

M. DCCC XXIV.

Proœmium.



Cùm ferè innumeræ de variis scirrhi vel cancri symptomatibus opiniones prodierint, permultorum investigationibus obscurata potiùsq̃am elucidata fuit quæstio de quâ disse-
rendum est. Omnia quæ de hoc morbo scripserunt hic referre nec voluntas, nec tempus adest. Materiem ab omni hypothesi expurgatam illustriũ professorum iudicio concurrentiumque disputationibus tradendam breviori sermone censi. Sat verborum erit si bona sint : jam nimia verò si mala.



Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22413996>

AN SCIRRHUS, PROPRIÈ SIC DICTUS, SEU CANCER OCCULTUS, INSANABILIS ?

1. Quid scirrhus? quid cancer occultus? quid morbus sanabilis vel insanabilis? hæc tria dilucidanda priusquàm supràposita quæstio solvi possit.

SECTIO I.

Quid Scirrhus?

2. Scirrhus, à græca voce *scirhos* seu marmoris fragmentum, è primis medicinæ temporibus usque ad nostram ætatem dictus est tumor durus, ad tactum dolore carens, qui in cancrum abire solet. « in mammis tubercula dura exoriuntur, hæc autem minimè suppurant sed semper duriora fiunt: ex his deindè occulti cancri pullulant (1). » Scirrhum vocant, inquit Galenus, tumorem præter naturam, doloris vacuum, sed durum. (2) »

3. Hancce definitionem confirmaverunt recentiores; et inter alios Sennertus sic morbum describit: « Cognoscitur scirrhus ex duobus precipuè signis: duritie nimirum et doloris privatione; quibus et hoc accedit quod, quandò premitur, sensu caret, et tum planè absolutus et confirmatus est scirrhus (3) » Attamen idem Sennertus duos cum Fallopio scirrhi species admittit, legitimum nempe et non legitimum. Legitimus is est qui modò describebatur, non legitimus qui non omninò sensu caret. Hinc varii circa scirrhi naturam errores, nam varios variæ indolis sub eodem nomine sic confuderunt morbos; ita ut Sennertus, in quibusdam partibus propriam

(1) Hippocrates, *de morbis mulier.* lib. 11. Foës.

(2) *De simplic. médi. c.* 8.

(3) *Practic. lib. V, pars I, cap. XIX.*

appellationem habere scirrhum dicit : in nervis scilicet ganglion , in glandulis struma , etc.

4. Sic confusæ se res habuerunt donec anatome pathologicâ nuper demonstratum est in plurimis diversæ indolis tumoribus durti-
ritiem dolorisque privationem adesse ; et propriam scirrhi indolem in texturâ propriè scirrhosâ consistere. Sed de anatomes pathologicæ fundamentis hic breviter disserere opus est.

5. Cùm diversas corporis partes ad certum anatomicorum elementorum numerum, non sine permagno scientiæ augmento, reduxit illustrissimus Bichat , de sanarum partium structurâ et functionibus tantùm disseruit, de morbidis partibus opportuniori tempore disserturus. Citâ morte labores interruptos discipuli et æmuli felicissimo cum eventu continuârunt , et vis plasticæ quâ organa fabricantur aberrationes diligenter exploratas certis legibus subjicere conati sunt.

6. Sic D. Laennec simul ac D. Dupuytren variam morbidarum partium structuram ad duos ordines retulerunt, contextus scilicet qui cum sanis partibus analogiam quamdam ostendunt, et contextus qui nullam ullâ cum parte sanâ analogiam referunt.

7. Partibus sanis morbidi contextus analogi sunt : *Osseus, cartilagineus, fibro-cartilagineus, cellulosus, corneus, pilosus*, adde et *erectilem*. Qui verò nullam analogiam cum partibus sanis ostendunt, *tuberculosus, scirrhosus encephaloïdes vel cerebriformis, melaneusque* nominantur (1).

8. Ex his morbidis contextibus , duo præsertim hîc explorandi, *scirrhosus* nempè et *encephaloïdes*, qui scirrhum propriè dictum, sive cancrum', soli constituunt (2). Melaneum quoque cancrosum censuit D. Alibert ; sed ejus opinioni plurimi dissentire videntur.

9. Scirrhosi contextûs anatomicam structuram sic cl. Laennec indicavit : Corpus albo-cæruleum , leviter semi translucens, as-

(1) Laennec, *Dict. des sc. méd. art.* Anatomie pathologique.

(2) Bayle et Cayol, *Dict. des sc. méd. art.* Cancer.

pectu et duritie , cùm adhuc crudum est , cutis suillæ simile , aliquandò duritie ferè cartilagineâ , in lobulos plerumque divisum strictissimâ telâ cellulôsâ inter se conjunctos, quorum forma admodùm variabilis regularem aspectum favi aliquandò confert. Cùm verò mollitur , aspectum juris gelati vel syrupi pellucidi, interdùm colore cinereo vel sanguineo obscurati, ostendit.

10. **Encephaloïdes**, seu materies cerebriformis , cum cruda est , paulò mollior et opacior quàm scirrhus , sub-albida , inæqualibus et imparibus lobis plerumque divisa , telâ cellulôsâ tenuissimâ distinctis , vasis instructa quorum tunicæ tenuissimæ sunt. Loborum subdivisiones lineis opacioribus indicantur , semper irregularibus, aliquandò obscuris. Cùm mollitur encephaloïdes , medullaris substantiæ mollis cerebri aspectum induit ; incisa , quasdam sanguinis guttulas mittit ; qui si mollior evadit , frequenter vel grumos , vel liquidi sanguinis effusiones offert , quæ apoplecticas in cerebro effusiones mirè simulant. Aliquandò totam tumoris molem invadunt ; tuncque mixtio sanguinis cum materie cerebriformi , grumos tumorum anevrismalium mentiri videtur. At si diligenter tumorem exploraveris , partem quamdam intactam invenies quæ ad ejus veram indolem demonstrandam sufficiet.

11. Qui duo morbidi contextus , scirrhosus nempè et encephaloïdes , vel distinctos tumores producere queunt , vel in eodem tumore simul exstare. In quibuscumque corporis humani organis evoluti organa destruunt , aut eorum particulas solummodò separant et comprimunt , ita ut nova organa quæ aliorum locum occupant haberi possunt.

12. Quâcumque in parte tumorem invenies qui , dissectione adhibitâ , structuram suprâ descriptam ostenderit , scirrhum dices.

13. Verùm , nec dissectio semper possibilis , nec in cadavere medicina exercenda. Scientiæ fons est corpus mortuum , sed scientiæ scopus est corpus vivum : huic scopo adimplendo nunc operam demus.

14. Tumorem in glandulâ vel alibi ostendit æger ; quibus-

nam signis an sirrhosa sit hujusce tumoris structura cognoscere poteris? Ut brevius dicam, quænam sunt signa scirrhi, propriè sic dicti? Hic opus, hic labor est. Plurima indicata sunt; sed nullum pathognomonicum. Describamus cum definire non possimus.

15. Nunc ictu accepto, nunc ignotâ causâ, vel in mammâ, vel aliàs durities observatur; sub digito premente fugit, et dolore caret; paulatim increscit, dura permanens et absque dolore; cutis color non mutatur. Mox magis ac magis evolvitur; mobilitatem et rotunditatem amittit, grandior fit et inæqualiter nodosus. Tela cellulosa circumposita obstruitur; cuti forsitan et musculis adhæret tumor duritie, nodis, torpore, gravitate conspicuus.

16. En scirrhi probabiliora signa. Num verò sufficiunt ad structuram scirrhosam vel encephaloïden denotandam? Non equidem. Phlegmonibus enim chronicis, corporibus fibrosis, abcessibus cystide obductis eadem referri possunt symptomata. Diagnoses incerta manet peritissimosque fefellit (1).

17. Unicus ergo scirrhum propriè dictum cognoscendi modus exstat, nempe sectio anatomica.

SECTIO II.

Quid Cancer occultus?

Quem modò describebam scirrhus, longo tempore, durus et dolore carens stare potest, nec aliud symptoma suscitare præter tumoris pondus et organi in quo evolutus est compressionem, quæ quidem functiones organi magnoperè lædi poterunt. Hisce tantum signis in internis partibus talem scirrhum suspicari possumus. Sed plerumque aliter se res habent.

19. Interdum tumor vivis subitisque doloribus, seu lancinationibus corripitur, quas doctor Cruveilhier doloris fulgura nuncupa-

(1) Boyer, Delpech, etc.

vit. Quæ vespere præsertim et nocte sæviunt, compressione nul-
lomodò excitantur, variisque sentiuntur intervallis; ad tactum
indolentia manet, sed tumor adhærens fit; mutato vel immutato
cutis colore. Tunc scirrhus cancri occulti nomen sumit.

19. Simul ac dolor apparet augetur etiam tumor: vicini lym-
phatici gangliones obstruuntur; lancinationes frequentiores fiunt;
turbatur et noctium quies; minuta fames et anormalis; corporis
color flavus aut plumbeus, cutis quâ tumor obducitur sub-rubra,
livida, venis exterioribus in superficie delineatis, undè cancri
marini aspectus et nomen. Tunc cancer occultus planè confir-
matus est: mox cancer ulceratus eveniet. Sed ne metam tran-
seamus.

20. È suprâ dictis evidenter patet cancrum occultum unum
et idem esse ac scirrhum, diverso nomine diversis existentiae suæ
temporibus appellatum.

Verâ sic cancri vel scirrhii propriè dicti indole determinatâ, ad
curationem attendamus, sed priùs de curatione in genere disse-
rendum habemus.

SECTIO III.

Quis morbus sanabilis, quis insanabilis?

21. Simplicissima primo aspectu hæc quæstio videtur, at si pro-
piùs spectes, ardua et ferè inextricabilis apparebit; nam ratione
causarum, symptomatum et indolis morbis summoperè varianti-
bus, cuique curationis conditiones propriæ sunt.

22. Morbus non est mathematicum punctum quod ultrâ citrà-
que sanitas consistit. Sæpiùs et sæpissimè series est morbidarum
actionum, variis intervallis repetitarum, ignotoque vinculo con-
junctarum. Symptomata interrupta et morbum absconditum rema-
nere rarum non est. Sic in febribus intermittentibus, epilepsiâ,
syphilitide aliisque observatur. In hisce morbis incerta adhuc cu-

ratio est cùm symptomata evanuerunt, donec probabilitas adsit hæc non reditura. Probabilitatem experientia facit.

23. Cùm ergo experientiâ compertum est (prout in his rebus nobis quidquam certum comperiri potest), ægrum eadem symptomata quibus laboravit aut saltem analoga non ampliùs passurum, sanatum declaramus et morbum sanabilem. Is autem insanabilis est, cujus symptomata vel nunquàm evanescunt, vel evanescunt semper reditura.

24. Hæc principia permultarum observationum comparatione nec non probabilitatum calculatione statui debent. Non enim rarò advenit ut morbus naturâ sanabilis ægrum trucidet, dum insanabilis plurimos annos prolungetur. Atque etiam sæpissimè observatur idem organum pluries eodem morbo affici; nec ideò dicendum erit, primâ vice, morbum non sanatum fuisse: hæc ad curationem scirrhi adplicanda.

SECTIO IV.

An scirrhus propriè sic dictus, vel cancer occultus, insanabilis?

25. Postquam scirrhi vel canceri occulti descriptionem, morbi sanabilis aut insanabilis definitionem rectâ methodo exponere conati sumus, de curatione scirrhi quæstionem dilucidare conemur. Cum proxima ejus causa nec non intima natura nostras effugiant investigationes, pathologicis earum effectibus quæstio resolvenda est; sed cùm effectus inter se admodum diversi et contrariæ observationes ostendantur, probabiliora exquirere opus est.

26. Et primùm in Hippocratis aphorismis hancce invenies sententiam: « Quibus occulti canceri adsunt, non curare meliùs; curati enim citiùs intereunt; non curati verò longiori tempore vivunt (1). »

(1) Sect. 6. Aph. 38.

Et istam quæ uteri cancerum occultum spectare videtur : « Hystericæ durities in alvo admodum dolorificæ, crudeliter atque citò perniciosæ (1). »

27. Galenus ad Glauconem (2) scribit : « Scirrhus qui sensatione caret medelam non admittit; qui verò sentit adeò non est incurabilis. » Spurium certè scirrhum, phlegmonem nempè chronicam, hâc ultimâ sententiâ designare voluit pergamenus; nam, libro de composit. medicam. cap. I. *Phlegmonem scirrhosam vel scirrhum phlegmonoden* admittit. De eâdem specie agere censendus est cùm libro ad Glauconem legitur. » Hunc morbum per suâ initia sæpè sanavimus; sed ubi in molem insignem satis evector est, nemo sinè manûs operâ potuit curare. » Sic ad duas Galeni opinio reduci potest sententias; altera quæ scirrhum spurium sanabilem, altera quæ scirrhum propriè dictum insanabilem, nisi manûs operâ, declarat.

28. Luctuosiore ac planè desperatam prognosin de eodem morbo tulit Celsus; nam et manûs operam aut inutilem aut perniciosam habuit. « Quidam, inquit, ferro adusserunt, quidam scalpello exciderunt; neque ulli unquam medicina profuit. Sed adusta protinùs concitata sunt et increverunt donec occiderent. Excisa etiam, post inductam cicatricem reverterunt et causam mortis attulerunt (3). »

29. Plurimi tamen hâc sententiâ non territi sanationem cancri possibilem censuerunt, et curationem tentârunt. Ex eorum experimentis infinita ferè remedia proposita sunt, quorum præcipua: sanguinis missiones, purgantia, opium, cicuta, belladonna, hyosciamus, arsenicum, mercurius, ferrum, plumbum, ammonias, cuprum, lacerta agilis, aqua fontis, etc., etc., etc.

30. Quæ omnia vana pleraque demonstrata sunt à cl. Bayle et

(1) *De mulierum morbis*, 18.

(2) *Lib. 2, cap. 5.*

(3) *De re medicâ, lib. V, cap. 2.*

Cayol, cum propriam scirrhusi contextus structuram pernoscere docuerunt (1). Hujusce structuræ ignorantia antiquas de scirrho observationes inutiles facit; ita ut ab anatomes pathologicæ origine historia scirrhi incipienda sit. Atqui, nullam scirrhi vel cancri, propriè sic dicti, remediis sanati observationem exstare, anno 1812, citati auctores abundanter demonstraverunt. Quorum demonstrationes hîc transcribere planè supervacuum; quæ ad eas infirmandas ediderunt recentiores hîc referre ac ponderare magis interest.

31. Scripserant (2) causam naturamque scirrhi ignotas nullum ad methodum medendi rectè instituendam lumen afferre. Dicunt alii causam istam et naturam non adeò esse absconditas ut succ effugere possint oculos; sic causas ad agentia irritantia, naturam verò ad inflammationem referunt. « Ces altérations de texture, inquit doctor Broussais, sont tellement dépendantes des divers modes d'irritation organique, qu'elles font partie intégrante de l'histoire de l'inflammation et de celle de la névrose (3) », et aliàs idem de iisdem contextibus disserens: « Ils doivent toujours cet état (d'engorgement) à l'exaltation de leur irritabilité et de leur contractilité (4). »

Quæ hypothesis naturam scirrhi nullo modo specificam admittit; tumoris productionem irritationi, resolutionem antiphlogisticis tribuit, scirrhum denique facilè sanabilem prædicat.

32. Sed si propiùs attendamus, quot scirrhi spontanei, sive nullâ irritatione præmissâ, apparent (1)! quot et quantæ irritationes sæpiùs et diutiùs repetitæ, quæ nec scirrhum, nec canerum efficiunt! Levissimum ictum, tenuissimam titillationem sæpè scirrhus et cancer sequuntur: foniculus verò, irritationis continuæ

(1) *Dict. des sc. méd. art. Cancer.*

(2) Bayle et Cayol, *ibidem.*

(3) *Examen des doctrines médicales, etc, tom. II, p. 681.*

(4) *Oper. cit. tom. I, proposit. CLXXXVIII.*

(5) Ledran, Alex. Monro, Montblanc, Delpèch, Rouzet, etc., etc.

sedes, corpore extraneo per annos plurimos, per totam vitam, irritatus, cur scirrhusus aut canerosus nunquàm evadit?

33. Quid de istâ sententiâ dicam quæ obstructionem scirrhosam encephaloïden, melaneam, etc., ab exaltatione irritabilitatis et contractilitatis dependere pronuntiat? quis unquàm, non dicam admittere, sed solùm concipere poterit, partem aliquam corporis, irritatione solâ, id est, irritabilitatis incremento, in alteram partem transformari posse, imò partem aliam gignere à se omninò diversam? Cùm glandula in scirrhum convertitur, cur irritabilitatem ejus augeri dicis? Glandula variis officiis, scirrhus verò nullo munere fungitur. Glandula vasis sanguineis et absorbentibus instructa variis et viventibus fluidis irrigatur; in scirrho circulatio vel nulla, vel obscurissima. Demùm glandula sentit, scirrhus verò non sentit. Nec igitur glandula scirrhosa irritata est, vel irritatio exaltationem sensibilitatis contractilitatisque non repræsentat, et tunc quid irritationem appellas?

34. Cùm scirrhusus contextus dolore corripitur, mollitur et ulceratur, irritationem aut inflammationem agnoscere velim, sed hïc video inflammationem specificam ab aliâ summoperè diversam. nec enim vita ibi augetur, sed aberrat; ichor proprius et dolor specificus inest, qui à dolore et suppuratione communi tantùm differt quantùm scirrhus à glandulâ sanâ.

35. Theoriam experienciâ confirmare volunt et scirrhos jam multos sanavisse asserunt emollientibus topicis, et hirudinibus circà tumorem applicitis. Sed jam dudùm emollientia adhibita fuerant, et hirudines prædicatæ à Fearon et Robert. Nemo nescit clari Pouteau methodum medendi, aquâ purâ perdiù adhibitâ. Si nullum veri scirrhiveli cancri sanati exemplum afferre potuerunt hi observatores, quid de recentibus sanationibus censendum? sermones verò non sufficiunt, ad exempla accedamus.

Novas observationes quibus nova theoria nititur et ego diligenter compuli; ecce quod reperi.

36. Tres retulit doctor Lasserre (1). Phlegmones chronicas ipse curasse fatetur, nec scirrhos nec cancos sanavisse.

Octo tumores scirrhos dictos describit D. Maréchal (2); omnes in principio dolentes fuerunt, et alia veræ inflammationis symptomata retulerunt: porro, duo præcipua signa scirrhi legitimi notavimus, duritiem nempe et doloris privationem. Septem cancri ulcerati observationes refert idem medicus, ex his duo succubuerunt ægri, qui structuram scirrhosam in tumoribus ostenderunt. Quinque sanati sunt; sed cancosam tumorum indolem semper antè dissectionem dubiam esse jam demonstravimus.

Septem nuperrimè à D. Treille scirrhi vel cancri sanationes prædicatæ sunt (3), extremâ negligentia collectæ, omnesque notandæ dolore tumoris evolutionem præcedente vel concomitante. Unica exstat mihi cognita observatio doctoris Fallot (4), quæ cum scirrho legitimo confundi potuerit. Tumor in mammâ dextrâ diù exitit, absque dolore; lancinationibus postea ægra cruciata fuit, et hirudinibus sublevata; repetitas lancinationes repetita sanguinis missio localis sedavit et tumorem omninò abstulit. Sed quid de unicâ observatione concludendum cum tot et tantæ sint erroris causæ, cum scirrhi structura dissectione solâ dignosci possit?

37. Nec ideò qui hancce opinionem profitetur fatalista dicendus est. Naturam rerum non mutant appellationes contumeliosæ. Si morbus insanabilis verè est, non fato sed experièntiâ nititur qui sanationem negat; si sanabilis contrà, probandum. Porro, hucusque relatæ observationes scirrhi legitimi sanationem valdè dubiam ostendunt. Insanabiles innumeris observationibus demonstrantur.

38. Sed quamvis scirrhum medicamentis insanabilem censeam,

(1) *Journ. univ. des sc. méd. tom. XIV*, 1819.

(2) *Observations cliniques, suivies de quelques réflexions générales sur les affections cancéreuses*. Montpellier, 1821.

(3) *Ann. de la méd. phys. tom. I*. 1822.

(4) *Ann. de la méd. phys. loc. cit.*

non tamen tumores scirrhosos sine curatione relinquam. Nam cum tot exstent scirrhi spurii vel phlegmonodes, ut dixit Galenus; cum nullum infallibile signum scirrhosi vel encephaloïdis contextûs exterius detur, nonne tumorum duriorum et renitentium, incertæ licet indolis sint, curatione semper innocuâ resolutionem tentare debemus? Plurima igitur remedia ministranda puto priusquam morbus insanibilis declaretur. Præcipua jamjam enumeravi, quorum administrandi modus undique legitur, sed hîc de novo remedio mentio facienda.

39. Nuper de iodo multa feliciter experti sunt, quæ ad resolvendos tumores plurimum profecerunt. Jam struma thyroïdea, quæ cum scirrho analogiam quamdam præbet, et in cancrum abire potest non amplius insanibilis dicetur. Nonne ad scirrhi curationem iodum proficere poterit? A doctore Coindet in mammarum obstructione propositum est (1), à doctore Hennemann in cancro uteri celebratum (2).

40. Quòd si medicamentis, sive antiphlogisticis, sive specificis constanter adhibitis, durities persistit et lancinationes supervenerint, et alia cancri occulti vel ulcerati symptomata, alia medendi methodus adest, quæ primis medicinæ temporibus celebrata, postea inutilis imò admodum nociva habita est. De ablatione hîc agitur.

41. « Quod medicamenta non sanant ferrum sanat, » scripsit Hippocrates. Cum medicamentis scirrhus insanibilis sit, an ferro sanabilis perquiramus. Et primum duas sanibilis morbi quas modò statuimus conditiones rememoremur: cessationem scilicet symptomatum nec ipsorum reditum. Excisio seu ablatio priorem certè conditionem plerumque adimplet, sed de posteriore variæ sunt sententiæ.

42. Tot tantaque recidivi post excisionem scirrhi vel cancri exempla auctores retulerunt, ut omnes scirrhos, seu ferro

(1) *Bulletin de la Société médicale d'émulation.* 1821.

(2) *Journal von Hufeland.*

adustos, seu scalpello excisos Celsus et alii semper repullulatos dixerunt; indèque insanabilem planè morbum esse professi sunt.

43. Plurima autem cancri extirpatione sanati nec recidivi exempla satis nota sunt ut nec constans nec inevitabilis morbi reditus sit pertimescendus. Num observationes à Vacherio, De Houpperville, Delpech et multis aliis relatas hìc referam? Num cancrum occultum a clarissimo Sabatier extirpatum nec post duos et triginta annos recidivum, alterumque eodem modo ablatum cujus post quinque et viginti annos reditum expectabat Deschamps, insanabiles dicemus? Qui nisi sanati dicantur quis sanatus aut sanabilis dici poterit morbus?

44. Sed objicies: veræ scirrhi structuræ ignari præcitati auctores errare potuerunt, et pro scirrho corpora fibrosa aut alia excidere. Certè aliquandò errasse et ego credam: semper verò errasse non probabile. Si facta suprà indicata aliis confirmanda putas, en fortè probantiora.

45. Scirrhos plurimos Cl. Delpech excidit, excisosque scalpello resecurit. Scirrhosâ structurâ recognitâ, legitimum scirrhum pluries excidisse affirmat, cicatricemque et sanationem obtinuisse, morbi reditum multis ab annis adhuc expectans (1). Dices tumores istos recidivos fore quia scirrhum legitimum post decem aut viginti aut triginta annos rediisse factis probatur. Ego quoque è suprà relatis concludam quosdam certè redituros, quosdam verò certè non redituros.

46. Et si post viginti aut triginta annos novus scirrhus appareat, priorem non sanatum fuisse dices? sed quid inter morbos triginta annorum spatio distinctos commune? Quid est morbus tanto temporis intervallo absconditus? Diathesin seu dispositionem ad cancrum vocant; en quid de diathesi censendum putem.

47. Variâ cum organisatione singuli nascimur, variis morbis alii aliis aptiores. Sic, iisdem causis agentibus, alter pleuritide, alter gastritide, alter apoplexiâ laborat. Quæ cùm morbida apti-

(1) Rouzet, *Recherches et Observations sur le cancer*, p. 146

tudo unum organum afficiat, idiosyncrasis, cùm totum corpus aut quoddam systema toto corpore diffusum invadit, diathesis mihi dicenda videtur. Tales sunt diathesis strumosa, herpetica, **cancrosa**, etc.

48. Sola idiosyncrasis certè non morbum constituit, nec, meâ sententiâ, diathesis. Morbus adest cùm adsunt symptomata vel series symptomatum brevi temporis intervallo repetitorum. Quod intervallum certo non limite delineari potest, sed idcò ad annos plurimos non prolongandum voluerim; nullus enim morbus sanatus aut sanabilis dici unquàm posset.

49. Imò diathesin seu aptitudinem istam organo vel toto corpore inhærentem aliquandò mutabilem observare est, et quamvis hujus mutationis conditiones oculos effugiant, nec tamen minùs certa est. Sic aptitudo ad variolas variolis vaccinis certo sed ignoto modo mutatur.

50. An **cancrosa** diathesis aliquoties evanescat incertum : sed **cancrum excisum** longum per temporis intervallum non rediisse certum est; et si triginta annis diathesin absconditam supponamus, hæc certè diathesis morbus non habenda.

51. *ERGO* ablatione sanabilis scirrhus, propriè sic dictus, seu **cancer occultus**, quamvis sæpiùs insanabilis; resolutione verò hucusque incertum et demonstrandum.

FINIS.

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..